Theologi.

~~Teol. 7119~~

Rybkovius Joan. Aug: Disputatio theologica de evidentia mysterii sanctiss. et individuae Trinitatis.

D. O. M. A.

DISPVTATIO THEOLOGICA.

De Euidentia Mysterij

SANCTISSIMÆ & INDIVIDVÆ TRINITATIS.

à

M. IOANNE AVGVSTINO RYBKOWICIO, in Alma Academia Crac. S.T. Profess: Canon. S. Annæ. pro Cursu publicè suscepta.

Præside ac Protectore

Admodum R. & Clarissimo Viro D. MARTINO CAMPIO VADOVIO S.T.D. & Professore, Præposito Sancti Floriani &c. Præceptore Colendiss.

In Magno Aulæ Iagellonianæ DD. Theologorum Lectorio Mensis Die

Superiorum Permissu.

CRACOVIÆ
Typis Francisci Cesarij, Anno Virginei Partus
M. DC. XXII.

IN ARMA
Illustrissimi & Reuerendissimi Præsulis.



FVlmineum quod Cynthia bina coruscat ad ensem
Cælesti & radio, cingit vtrumque latus
Bræsulei officij splendor Tuaque inclyte Princeps
Collucet virtus inq; polo inq; solo.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI, DOMINO,

D. MARTINO SZYSZKOWSKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,
EPISCOPO CRACOVIENSI,
Duci Seueriensi, Academiæ Cancellario Dignisſ:
Domino, Patrono, Mecœnatiq; Suo
Benignissimo

Salutem & Fælicitatem P.

Theologicam Arenam, pro complendo laborum in Theologia meorum curriculo, nunc ecce iterum ingressurus: & de Euidentia Mysterij Diuinissimi TRINITATIS ÆTERNÆ disputaturus; Te Meum Illustriss: & Reuerendiss: Antistes, Censorem & Patronum appello. Magna in parte beneficiorum diuinitùs acceptorum Nos Academici libenter sanè reponimus; quòd Te Cancellarium nacti simus eiusmodi, qui inter alias, Vero Episcopo ac Sena-

tore dignissimas cogitationes, illam quoq; de SS. Theologia hîc apud nos ornanda, & propaganda susceperit: vt quod magno Aere, atq; Tempore, apud exteros emimus, domi absq; vllo Fortunarum & Aetatis damno parare possimus. Et habet quidem ex Dei Gratia Nostra hæc, imo etiam Tua, quia Jagellonia, proindeq; totius Sarmatiæ Catholicissima Schola Academiæ Cracouiensis, multa ingenia non infælici sydere nata, cum ad alias litterarum disciplinas, tum verò ad hanc Facultatum omnium principem; SS. dico Theologiã non solùm ex Fide, Ordine, & Fructu priuato discendam: sed cum dignitate quoque profitendam, ad communem Ecclesiæ, ac Reipub. profectum. Cuius maiora in dies extarent argumenta: si Te Censore Aequissimo, ac Patrono Benignissimo, contentionibus hisce nostris litteratis; in quibus multi ante ætatem, vires & vitam consumimus: Ille ipse qui alit artes, Honor & Amor in publico non deesset. Enimverò spem huiusce rei non dubiam ab Jllustris. Cels. V. paucis ante lapsis diebus accepimus; quando grauissimam, pro Dignitate Ecclesiastica, Collegiorum nostrorum in or-

dine

dine Hierarchico retinendo ſententiam ex Oraculo ceu datam audiuimus. *Quæ certè mirum in modum animos noſtros erexit, & de Tua ſingulari, imo paterna in nos Humanitate, ac Beneuolentia Beneficentiæ coniuncta, in dies maiora ſperare iuſſit. Officij tantum noſtri fuerit: dum Academicam hanc Stationem, à D. Jagellone illo Rege, Parente noſtro Maximo, noſtræ Fidei concreditam, eo quo debemus Virtutis auitæ Candore, Litterarũ Studio, & Ingenij Gloria tuebimur: id quod hactenus adiutore Deo, libenter fecimus: Amorem Tuum honoribus in magnis habendum, omni officiorum & obſeruantiæ genere promereri, idq; etiam apud poſteros teſtari: quantus apud nos, Auctoritate Muneris, Boni publici cura, Amore omnium Cancellarius eſſes. Ego verò Academicorũ minimus, ante Inſulas etiam Cracouienſes Illuſt. Celſ. V. cliens, dum communibus omnium noſtrum votis, de Tua Præſul Illuſtriſſ: ac Reuerendiſſ: fœlici incolumitate ſuſceptis, applauſum non illum Theatralem, ſed Sacerdotalẽ, ineunte hoc vtinam fœliciore Anno lætus facio: cum hac velitatione mea Theologica, nunc iterato*

ad Maiorem DEI VNIVS & TRINI *Gloriam susceptâ, Magno animo, quem priuatim illa Tua plusquam Paterna in Me propensio mihi toties addere solet, ad Te meum Cancellarium & Mecænatem venio; vt & studij mei Theologici sub Academiæ Doctoribus, pro fide, ac diligentia suscepti ratio, Cancellario meo sapientissimo constet: & Animi quoque obseruantiam æternum vsq; sibi deuotam, Mecænas optimus vel sic testatam habeat, dum etiam inter disputandum de Re Diuina omnium altissima Perillustres illas* MAGNI SISCOVII *Lunas, ex quibus mihi Lumen: & Cruce signatum Gladium, unde mihi Robur: submissè imploro, & denuo rursum appello. Crac. è Collegio Nostro Maiore. Anno Partæ Salutis* 1622. *Calend. Januarii.* D. N. *Saluatori* IESV *Christo, Deo vero, Hominiq; vero sacris.*

Illustrissimæ ac Reuerendissimæ Cels. Vestræ

Cliens humilimus

M. Ioannes Augustinus Rybkovvic,
Cracouien: S. T. Professor.

QVÆSTIO THEOLOGICA.

V. Myſterium diuiniſsimum, æternæ illius Trinitatis, quæ Deus vnus & verus eſt, exiſtens in tribus perſonis Diuinis, proprietate ſola Relatiua, inter ſe realiter diſtinctis, ita penitus reuelabili ſua Subſtantiâ, cognitionem omnem Rationis Naturalis tranſcendat: vt in nullo Intellectu Creato, Euidentiam ſuæ Certitudini conſentaneam, ſiue ab Intrinſeco, ſiue ab Extrinſeco habere poſsit necne?

CONCLVSIO I.

DIuinissimum Trinitatis æternæ Mysterium, altissimam illam de Deo vno, & Trino Theologiam continens: omne id, quod ad Rationem Deitatis Absolutam, & Relatiuam, aliquatenus pertinet, certissima cognitione in se complectitur.

Corollaria.

1. *Attributa omnia absoluta, Tribus in Deo Personis ex æquo communia, & inter se, & ab Essentia Diuina, solum Ratione ratiocinata distinguuntur.*

2. *Processiones Diuinæ duæ tantùm: per Intellectum vna, per Voluntatem altera, realiter inter se distinctæ, fundant Relationes Diuinas ad Intra.*

3. *Relationes porro illæ quatuor duntaxat in Deo reales, aliquæ inter se realiter; ab Essentia verò Diuina virtute saltem eminenterq́ distinctæ, nec intrinsecam illius rationem ingredientes, vt Relationes sunt, nullam in Deo perfectionem di-*

cunt

cunt, nihilominus ex vi oppositionis Relatiuæ Personas Diuinas constituunt, & distinguunt.

4. Tres tantùm in Deo esse Personas, quæ sunt Pater & Filius & Spiritus Sanctus, vnus verusq; Deus. Relationes Originis probant: dum Trinitatem Personarum Ineffabilem in Vnitate Diuina constituunt & multiplicant.

5. Personæ Diuinæ Proprietatibus Relatiuis constitutæ ac inter se distinctæ, prout vnam & indiuisam numero Substantiã, ita vnam quoq; absolutam Existentiam, & nullas relatiuas habent: licet ibi sint tres Subsistẽtiæ Relatiuæ qui tres modi sunt Existentiæ absolutæ.

6. Proindeq; illæ Relationes, non sub Ratione Absoluta, sed Relatiua, Personã quamque Diuinam in Esse Hyppostatico constituunt: vt Doctiss. Bartholomæus Torrez, Episcopus Canariensis ingens illud Theologiæ Familiæq; suæ Lumen & Columen, cum subtilissimo Thomisantium Cardin. Gaietano præclarè docet.

7. Personæ Diuinæ sic constitutæ, ac inter se distinctæ dum in illa vna & eadem Essentia æquali-

ter ſubſiſtunt: citra omnem puriſſimæ & actualiſſimæ Simplicitatis Diuinæ iacturam, virtualiter & noſtro intelligendi modo, ex Eſſentia & Relationibus conſtitui atque componi dicuntur.

Concluſio II.

DIuiniſsimum æternæ Trinitatis Myſterium, diuinitus nobis reuelatum, ac cælo demiſſum, illa ſua Subſtantiâ Reuelabili tantum; omnem Rationis cuiuſcunq; Naturalis cognitionem tranſcendit.

Corollaria.

1. *Attributa omnia in Diuinis abſoluta, nonniſi ad cognoſcendam in Trinitate Vera ſimpliciſſimam Deitatis Vnitatem ex vi Rationis Naturalis omninò conferunt.*

2. *Proceſſionum verò & Relationum Diuinarum Veritas, Notio, Numerus, Diſcrimen, Actus notionales citra Reuelationẽ Diuinam nulla Ratione Naturali concluduntur.*

3. *Sed de his omnibus Intellectus noſter Fidei ex*

Reue-

Renelatione Diuina lumine colluſtratus, ex propoſitionibus partim creditis, partim ſcitis, perſuadendo, non demonſtrando veritatem colligit, illamq́ contra Infideles directè probat.

4. Et vero ſicut nulla Ratio Naturalis oſtendere poteſt hoc Myſterium eſſe Impoſſibile: ſic nulla quoque probare valet illud non eſſe Impoſſibile, niſi ſint ſoluenda Infidelium argumenta.

5. Nihilominus hoc Myſterium, non eſſe contra Naturam ſeu Veritatem aliquam Naturalem, ſed ſupra omnes Veritates naturaliter cognitas, & cognoſcibiles: rationibus naturalibus ex congruo demonſtratur.

6. Quod ſi Gentilium aliqui Philoſophi, ceu per ſomnium de altiſſimi huius Myſterij arcana veritate, quędam balbutiunt, id eos vel ex Diuinis Prophetarum oraculis didiciſſe, vel ex Chriſtianis audiuiſſe, vel ex ipſius Dei veritatē hanc ita confirmantis Afflatu, per modum tranſeuntis Gentilibus illapſo, propter nos hauſiſſe: Magnorum Patrum ſtat ſententia.

7. Non ſolùm autem Intellectus Chriſtiani Via-

toris, sed Gentilis etiam modo non deprauati, potest naturaliter de Deo vt Vnus in Essentia formare Conceptus Quidditatiuos inadæquatos tamen & imperfectos, quia talia omnia sunt à Posteriori.

Conclusio III.

DIuinissimum æternæ Trinitatis Mysterium á parte Rei non tantùm possibile, sed etiam necessarium, in nullo Intellectu creato Euidentiam suæ cognitionis habere potest, ab Intrinseco, sed solùm ab Extrinseco.

Corollaria.

1. Intellectus creatus Fide huius adorandi Mysterij præditus non potest simul & semel eiusdem Euidentiã habere: nec per virtutem aliquam connatam, sibi ab intrinseco inhærentem, ad clariorem Fide cognitionem illius assurgere.

2. Nulla Species Intelligibilis creata dari potest, per quam Intellectui creato possit repræsentari Deus sicuti est quidditatiuè in se Trinus & Vnus.

3. Sed

3. Sed illa solùm Species conceditur, per quam Homo euidenter iudicet Deum esse qui loquitur, & reuelat hoc Mysterium tanquam verissimum, & hæc Euidentia est in attestante, aliàs Extrinseca, seu ex Auctoritate dicentis, quæ an possit stare cum Fide? Problema esto.

4. Citra Visionem Beatificam & Euidentiam in attestante à nullo Creato Intellectu SS. Trinitatis Mysterium euidenter cognosci potest.

5. Visio Beatifica concursu Dei seipsum reuelantis & lumen Gloriæ desuper infundentis Euidentem huius Mysterij notitiam inadæquatam tamen parit in quocunque Intellectu creato Beati cuiusuis Angeli, vel Hominis: Secundùm magis & minus: pro modulo Charitatis, Gratiæ, Meritorũ, & Luminis Gloriæ secundùm iustissimam & suauissimam dispositionẽ Dei Vnius & Trini seipsum non æqualiter; & liberè reuelantis.

6. Intellectus perspicacissimus Christi Domini vt Hominis, per scientiam Inditam; Mysterij huius altissimi Euidentiam in attestante peculiarem habet: seclusa Fide; multo verò magis per Sciẽ-

tiam Beatam, qua omnem Intellectum creatum longè lateq́ superat: ab Intellectu tamen Diuino superatur.

7. *Superadoranda Trinitas quæ Vnus idemq́ Trinus verus Deus est; adeo sibi soli perfectè, distinctè & clarè nota est, vt præstantia suæ cognitionis, omnem Intellectum creatum in infinitum, excellat: Seipsam verò infinitam vndiq;, exactissima, clarissimaq́ cognitione, absolutè infinitâ simpliciter infinitè non exhauriendo, sed contemplando simul & amando, diuinissimè apprehendat atq́ comprehendat.*

D. Augustinus lib. 6. de Trinitate.

Qui hoc, id est, Trinitatis Mysterium, vel ex parte, vel per speculum & in ænigmate videt: gaudeat cognoscens Deum, & gratias agat: qui verò non videt, tendat, per pietatem ad videndum, non per cæcitatem ad calumniandum, quoniam Vnus est Deus, sed tamen Trinitas.

Gloria Tibi Trinitas æqualis vna DEITAS nunc, in æternum, & vltra.

Epigramma Diuinum

DE

LAVDE Dn. N. JESV CHRISTI,

Seruatoris æternùm cum DEO Patre &

Spiritu S. viuentis atq; regnantis.

PRoles vera Dei, cunctiſque antiquior annis,
Nunc genitus qui ſemper eras, luciſq; repertor
Ante tuæ matriſque parens, quem miſit ab aſtris
Aequæuus genitor, verbique in ſemina fuſum
Virgineos habitare ſinus, & corporis arti
Iuſſit inire vias, paruaque in ſede morari,
Quem ſedes non vlla capit, qui lumine primo
Vidiſti quicquid mundo naſcente crearas,
Ipſe opifex, opus ipſe ſui, dignatus iniquas
Aetatis ſentire vices, & corporis huius
Diſſimiles perferre modos, hominemque ſubire.
Vt poſſis monſtrare Deum, nè lubricus error,
Et decœpta diu varii ſolertia mundi,
Pectora tam multis ſineret mortalia ſeclis
Auctorem neſcire ſuum, te conſcia partus
Mater & attoniti pecudum ſenſêre timores.
Te noua ſollicito luſtrantes ſydera viſu
In cælo vidêre priùs, lumenque ſecuti
Inuenêre Magi, tu noxia pectora ſoluis,
Elapſasq; animas in corpora functa reducis,
Et vitam remeare iubes. Tu lege recœpti
Muneris, ad Manes penetras, mortiſq; latebras
Immortalis adis. Naſci tibi nam fuit vni
Principium, finiſq; mori, ſed nocte refuſa.

In

In cœlum, Patremque redis, rursusque perenni
Ordine, purgatis adimis contagia terris
Tu solus, Patrisq; comes, tu Spiritus insons,
Et toties Vnus, Tripliciq; in Nomine Simplex.
Quid nisi pro cunctis aliud? quis credere possit
Te potuisse mori, poteras qui reddere vitam.

Sanctissimus ac Sapientissimus Damasus Pontifex Romanus F.

Disputans in Cursu Theologico.

M. Joannes Aug. Rybkowicius, Theologis Disputatoribus, Auditoribusq; suis E media illa Antiquitate Sacra Erutum. Instar Xenij libenter Præsentauit

Ad Maiorem DEI Opt. Max. Gloriam Amen.